

CARMEN BURANUM 196

In taberna quando sumus,
Non curamus quid sit humus,
Sed ad ludum properamus,
Cui semper insudamus.
Quid agatur in taberna,
Vbi nummus est pincerna,
Hoc est opus ut quaeratur,
Si quid loquar, audiatur.

- 2 Quidam ludunt, quidam bibunt,
Quidam indiscrete uiuunt.
Sed in ludo qui morantur,
Ex his quidam denudantur;
Quidam ibi uestiuntur,
Quidam saccis induuntur.
Ibi nullus timet mortem,
Sed pro Bacho mittunt sortem:
- 3 Primo pro nummata uini.
Ex hac bibunt libertini:
Semel bibunt pro captiuis,
Post haec bibunt ter pro uiuis,
Quater pro christianis cunctis,
Quinques pro fidelibus defunctis,
Sexies pro sororibus uanis,
Septies pro militibus siluanis,
- 4 Octies pro fratribus peruersis,
Nouies pro monachis dispersis,
Decies pro nauigantibus,
Vndecies pro discordantibus,
Duodecies pro paenitentibus,
Tredecies pro iter agentibus.
Tam pro papa quam pro rege
Bibunt omnes sine lege.
- 5 Bibit hera, bibit herus,
Bibit miles, bibit clerus,
Bibit ille, bibit illa,
Bibit seruus cum ancilla,
Bibit uelox, bibit piger,
Bibit albus, bibit niger,
Bibit constans, bibit uagus,
Bibit rudis, bibit magus,

- 6 Bibit pauper et aegrotus,
Bibit exul et ignotus,
Bibit puer, bibit canus,
Bibit praesul et decanus,
Bibit soror, bibit frater,
Bibit anus, bibit mater,
Bibit ista, bibit ille,
Bibunt centum, bibunt mille.
- 7 Parum centum sex nummatae
Durant, ubi inmoderate
Bibunt omnes sine meta,
Quamvis bibant mente laeta.
Sic nos rodunt omnes gentes,
Et sic erimus egentes.
Qui nos rodunt confundantur,
Et cum iustis non scribantur.